

Ihs Maria

Illustrissime Domine.

Cum ipse noverim tuae personae dignitatem, eximum decus vitaue sanctitatem, necnon et meritissimum nomen et authoritatem
5 quam apud Dominum Nostrum satis digne habes, licet nullis in me praecedentibus meritis, nec humana aliqua dispositione vel favore, sed divino cordis impulsu motus (ut credo) ac Dei praecipue providentia fretus zeloque religionis, qui in tem maxime elucet, non potui non scribere tibi, benignitatem tuam et solitam erga omnes (maxime vero circa status religiosorum in obedientia solita degentium)
10 quam haves pietatem suppliciter invocando, ut in re ac negotio valde gravi (quod iam explicare aggrediar) erga nostram familiam iugem benevolentiam tuam benigne exhibeas, idemque referas SS^{mo} D^o N^o ut circa illud (quod ob sinistram relationem forsitan pericitatur) de tuenda parte capituli generalis, legum ac praelatorum providere dignetur.

Est igitur, Ill^{me} Praesul, hoc negotium, quod servos tuos et alumnos praedictae familiae (quae est Carmelitarum Discalceatorum in regnis Hispaniarum commorantium) urgentissime praemisit, quod duo
10 ex fratribus nostris, privatis aliquot rationibus commoti, seu potius absque ulla occasione querellae exacerbati, nostri fr. Petri à matre Dei, apostolici quondam concionatoris, iam vero vita functi, favoribus suffulti, ad Apostolicam Sedem configuerunt, ab eaque litteras impetrarunt pro tertia quadam erectione et congregacione, quam
15 pro infidelium conversionibus (zelo quidem non prudentiae) erigi desiderabant. Quas igitur litteras Apostolicas occultè obtentas, mediis quibusdam transumptis, typis mandatis et sigillo munitis, inconsulte quidem et non sine magnis incommodis aliquaque nota Sanctissimae Sedis propallarunt et sparserunt. At cum sua Beatitudo
30 de hac re pleniorum informationem haberet, praedictas litteras abolerere fecit. Quam quidem abolitionem huiusmodi fratres aegrè feren-

/ tes, et nos perturbare et familiam in qua procreati sunt excitare et commovere non desinunt, ita ut modò aliam viam non minus nocivam huic tuae obsequentissimae congregatiōni et pluribus perturbatiōnibus aptam sedula diligentia quaesierunt. Contendunt enim auctori-
 5 tate Domini Nostri quaedam struere seminaria, in quibus novi mili-
 teseducentur, toti in studiis et exercitiis, pro huiusmodi con-
 versionibus parandis occupati.

Haec novitas et inventum (amplissime Praesul) à nostrae regulae instituto, in vita eremitica iugi contemplationi dedita nos instru-
 10 ere conante, est nimis dissonum. Est etiam istorum fratrum reper-
 tum nostris legibus, quibus haec familia ab eius principiis direc-
 ta et gubernata est, valdè adversum, et ab opinione ac sententia primorum patrum eiusdem caeterorumque omnium, tam praelatorum quam
 aliorum ipsius selectorum fratrum votis omnino oppositum. Quare
 15 non potest non generare in huius congregatiōnis alumnis maximam animorum perturbationem necnon scissurarum schismata proprie
 instituti vilipendium, atque adeo merorem in praelatis et innumera
 alia incommoda videntibus, maximè huiusmodi novitatem eorum deside-
 riis, quibus contemplationi ac solitudini vacare anhelant, esse
 20 prorsus contrariam, eamque non per ordinis praefectos, quibus à Deo
 regimen commissum est, sed per querulos fratres suaque propria ra-
 tione et opinione (ut censemus) seductos, contra voluntatem praela-
 torum, fictitiis relationibus fuisse introductam. Quod quidem solum
 (ut alia incommoda taceam) ita nocivum est, ut ex illo totius nos-
 25 tri ordinis ruina merito timeri possit. Erit namque manifestissima occasio ut observantia et obedientia iure naturae superioribus de-
 bita et sine qua nulla congregatio gubernari potest, amittatur et corruat. Non est autem silentio praetereundum quod, cum zelus et
 anxietas animas ad Christum convertendi nimiumque litterarum exer-
 30 citium et alia huiusmodi, quae hoc munus requirit, sint incompati-
 sibilia cum vitae abstractione, silentio assiduaque contemplatione,

/ quam regula nostra veluti praecipuum munus iniungit et hortatur;
si utrumque vellemus amplecti, neutrum profecto assequemur.

Haec sint, Ill^{me} Domine, quae animum nostrum commoverunt ad effundendas coram te huiusmodi preces, quibus supplex oro, ut Dominum Nostrum de hac re fusè alloquaris, certiore illum faciens de his quae tibi dicta sunt, sermonibus meis halitum et vitam tribuens, ut eius Beatitudo veritate cognita nihil erga dicta seminaria vel quid simile de novo statuat; quin potius nostris generalibus capitulis eadem remittat, ut iuxta statum nostrum, quaecunque ad 10 Omnipotentis Dei gloriam et dictae familiae tranquillitatem concernunt, ut fieri solet, statuant et decernant.

Circa quae omnia Illustrissimam Dominationem tuam audire obsercro fratrem Ioseph à Iesu Maria huius epistolae delatorem, quem ut meas vices gerat sacer ordo noster ad Sanctissimum Dominum mittit, 15 cui etiam indubiam fidem adhibere poteris, utpote cui maiora munera obeunda pluries idem ordo credidit; ut, ab eo re perfectè cognita, exactius possis Domino Nostro rationem reddere et incommoda maxima ex huiusmodi novitate secutura illi aperire.

Et ut laborem istum cum gaudio et spe coelestis praemii subire 20 possis, esto certus (Amplissime Praesul) quod religio nostra in Hispaniarum regnis (secundum praesentem statum) inter reformatas omnium oculis est probatissima, et una ex quibus ubiores fructus respublica christiana capit, diuque pacatissimum habuit cursum; quam omnino perturbandam fore, et ipsam ecclesiam Dei his officiis privandam in- 25 dubitatum existimo, si in ea, ut praedicti fratres intendunt, Dominus Noster sine capitulo generali quicquam innovaverit.

Deus Optimus Maximus acquiescat precibus servorum tuorum, quas pro vita longaeva tui et augmento gratiae aeternaque salute consequenda fundendas in hac familia libenti animo offero.

30 Datum Matriti xvij kalendas aprilis anno Domini 1609.
Ill^{me} Domine / Obsequentissimus servus tuus
Fr. Ildefonsus a Iesu Maria Generalis